

5. Petrum et Paulum, elapsis post passionem Domini annis 37, fuisse martyrio coronatos; ut Hieron., Chrysost., Pontificale Romanum, Isidorus et alii apud Henschenium et Pagium testantur.

Habita harum epocharum ratione sequitur hæc Chronologia.

Æræ Christi communis Anno 27. initium duodecim annorum ab Apostolis prædicationi in Palæstina impensorum. — An. 29. Salvatore in cælum assumpto, PETRUS suscipit vicariatum Christi, et annos 25. a Lactant. et Chronico Liber. numeratos inchoat. — An. 30. conversio S. Pauli. — An. 33. Paulus Hierosolymam primo veniens videt Petrum et Jacobum. — An. 37. Tiberio succedit Caius Caligula. — An. 39. divisio Apostolorum: Petrus Antiochiam delatus, ibidem sedem erigit. — An. 41. Occiso Caio, Claudius ad Imperium vocatur. — An. 42. Jacobo jussu Herodis Agrippæ interempto, affligitur Ecclesia, accurrens Antiochia Petrus etiam ipse occidendus carceri datur: sed liberatus ab Angelo discedit Romam.

Inde initium Episcopatus Romani et 25. annorum a Scriptoribus Ecclesiasticis magis celebratorum. — An. 44. Paulus secundo appellit Hierosolymam; qui adventus in ep. ad Galat. relatus congruit cum illo Actor. 11. descripto. — An. 49. Judæis, sub quibus et Christiani veniebant, Roma expulsis, Petrus primo discedens ex urbe Hierosolymam abit. — An. 50. Concilio ibidem de Legalibus celebrato præest. — An. 54. Defuncto Claudio, sub Neronis initia, eodem et sequenti Judæi Romam redeunt, et cum Christianis Petrus. Clauditur hic *prima* 25 annorum epocha. — An. 56. S. Lino constituto Romæ vicario seu coadjutore, Petrus seu primis seu repetitis vicibus excurrit in Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam et Bithyniam. Subin redux, An. 67. Martyrium sub Nerone patitur, socium passionis nactus Paulum, finiente hic et *secunda* 25 annorum epocha, et 37 post Christi mortem jam ante completis.

164. *Respondeo I.* S. PETRUS fuit Romæ, quorsum primo venit anno 2. Claudii.

Prob. 1^a p. Petrus in epist. 1. c. 5. v. 13. hæc scribit: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, et Marcus filius meus.* Ex his certum est 1^o. Petrum fuisse Babylone: 2^o. Hanc Babylonem non fuisse urbem sub hoc nomine historicis alias notam; cum juxta Josephum L. 18. Antiq. c. 12. tempore Cæii in Babylone Assyriorum Judæi omnes vel occisi vel expulsi fuerint; Babylon autem Ægyptiorum juxta Strabon. L. 17. castellum duntaxat et locus obscurus fuerit: adeoque neutro in loco potuerit Ecclesia esse electa et collecta: 3^o. Hinc nomen hoc urbis non fuisse proprium et historicum, sed alienum et symbolicum; atque a Petro ad tegendam suam commemorationem aliaque incommoda vitanda usurpatum.

Sed sub hoc *Babylonis* schemate designatam fuisse urbem Romam, probat 1^o. similitudo hujus urbis tum idololatæ, tum dominantis, cum priore, quam Tertull. L. 3. contra Marc., Aug. L. 18. de Civ. c. 22. et Leo Serm. 1. de Natal. Apostol. exponunt: 2^o. Usurpatio similis a Joanne c. 17. Apocalypsis, quam Tertull. L. contra Judæos c. 9. declarat: 3^o. Aperta antiquorum interpretatio; sic enim Euseb. L. 2. Hist. c. 15. testatur: *Papias et hoc dicit, quod Petrus in 1^a epistola sua, quam de Urbe scripsit, meminere Marci, in qua tropice Romam Babylona nominavit, cum dicit: salutatur vos etc.*

Hieron. de Script. Eccl. in Marco ait: *Petrus in epist. 1^a. sub nomine Babylonis figuratè Romam significans, salutatur, inquit, vos Ecclesia etc.* Ergo.

Conf. S. PETRUM baptizasse Romæ, testatur Tertull. L. de Baptismo: ibidem obvium habuisse Christum, narrat Ambros. in orat. contra Auxentium: edidisse miracula plura universim Caius in disp. cum Proclo, et Oros. L. 7. Hist. enuntiant: vicisse speciatim Simonem magum, Arnob. L. 2. adv. Gent., Euseb. L. 2. Hist. c. 14., Cyrill. Hieros. Catech. 6. § 15., Epiphan. hæc. 21, Aug. hæc. 1, Hieron. de Script. Eccl. in Petro, aliique memorant: MARCUM denique Romæ Evangelium scripsisse, prout ibidem a Petro prædicatum audierat, Clem. Alex. L. 5. Hypoth., Euseb. L. 2. hist. c. 15, Hieron. de Script. Eccl. in Marco annotant.

Prob. 2^a p. Fidem faciunt EUSEB. L. 2. hist. c. 13. scribens: *Sub ipso Claudii Imperio, benigna et propitia Dei erga humanum genus providentia reliquorum omnium Apostolorum principem Romam versus quasi manu deduxit: Orosius L. 7. hist. c. 6. Exordio regni Claudii Petrus Apostolus Romam venit, et salutarem cunctis fidem populum docuit: Hier. de Script. Eccl. in Philone: Aiunt Philonem, cum secunda vice venisset ad Claudium, in eadem urbe locutum esse cum Petro, ejusque habuisse amicitias; ibidem autem in Petro ait: Simon Petrus post Episcopatum Antiochensem secundo Claudii anno ad expugnandum Simonem magum Romam pergit.* Ergo.

Conf. Annus, completos a passione Domini 37 annos excipiens, est annus Æ. C. 67; quia anni 37 additi anno 29 in æræ communis vitam Christi finienti reddunt 66 annos cum aliquot mensibus: sed ab hoc 67 anno retrograde 25 annos, queis Petrus Romæ sedit, decerpendo, initium captivæ sessionis incidit in æræ com. annum 42, qui est annus Claudii 2: ergo adventus Petri Romanus, cum initio hoc congruens, in eundem annum incidit.

165. *Respondeo II.* S. PETRUS martyrium subiit Romæ sub Nerone, anno hujus 13.

Prob. 1^a p. Patres tum Græci, tum Latini, in hoc facto conspirant; ex quibus a Bellarm. de Rom. Pontif. c. 3. relatis, aliquot duntaxat laudasse sufficiat. DIONYS. Corinth. ap. Euseb. L. 2. Hist. c. 25. sic de Petro et Paulo loquitur: *Ambo in hac urbe simul docentes, etiam martyrio pariter uno eodemque tempore coronati sunt; ipse autem Eusebius in chron. ad an. 17. inquit: Primus Nero super omnia scelera sua etiam persecutionem in Christianos fecit, in qua Petrus et Paulus gloriose Romæ occubuerunt.* TERTULL. L. de Præscript. c. 36. *Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est: ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt! ubi Petrus passioni Dominicæ adequatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur.* ATHANAS. in Apolog. pro fuga de Petro et Paulo scribit: *Cum audissent oportere se Romæ martyrium subire; non abjecerunt eam profectio-nem, sed potius cum gaudio abierunt. etc.*

Conf. Ex corporibus PETRI et PAULI Romæ sepultis, quin extet ullum historie aut testimonii vestigium de posthuma illorum huc translatione; ex confluxu Nationum ad Apostolorum limina peregrinantium; ex omnium ætatum ac populorum persuasionem et consensu circa hoc factum: unde Euseb. L. Hist. cit. testimonia scriptorum seponens inquit: *Horum testimo-*

nium querere extrinsecus superfluum puto; cum rem gestam insignia usque in hodiernum et splendidissima eorum monumenta testentur.

Prob. 2^a p. Similiter hoc Patres nonnulli indicant. Nam Orosius L. 7. Hist. cit. de Nerone ait: *Primus Romæ Christianos supplicii et mortibus affect; ipsumque nomen extirpare conatus, beatissimos Apostolos, Petrum cruce, Paulum gladio occidit.* Hieron. de Script. Eccl. in Petro de eodem scribit: *Ibique (Romæ) 25 annis cathedram sacerdotalem tenuit usque ad ultimum Neronis, id est, 14 annum, a quo et affixus cruce martyrio coronatus est, capite ad terram verso.* Hoc in textu, cum Nero ultimum suum annum ad nonam tantum Junii perduxerit, Tò usque sumitur exclusive; vel indicatur annus .E. C. 67. qui usque ad Octobrem 13, ab hoc mense 14 Neronis annus fuerat. Isidor. in vita Petri ait: *Septimo et tricesimo anno post passionem Domini a Nerone Cæsare in urbe Roma crucifixus est.* Vid. reliquos num. 163. laudatos.

Conf. Præter argumentum ex suppositis chronologicis manifestum, accedit aliud ex Chronologia Lini. Huic Chronicon Damasi sedis annos tribuit undecim, cum mensibus aliquot; Epiphan. hæc. 27. annos duodecim, ultimo scilicet tantum inchoato; Chronicon Liberianum Pontificatus initium sub Saturnino et Scipione, finem sub Capitone et Rufo consulibus; unde sequitur annum Lini 1. cum 2 Neronis et 36. .E. C.; annum postremum cum 13 Neronis et 67. .E. C. concurrere. Atqui Baronius cum aliis PETRUM fuisse passum sub Capitone et Rufo docet, Kerkherdere aliique Linum aliquot duntaxat mensibus solum gessisse Pontificatum volunt: ergo PETRUS fuit mortuus anno Neronis 13. .E. C. 67.

166. *Respondeo III.* S. PETRUS fuit Romæ Episcopus, ad mortem usque.

Prob. 1^a p. PETRUS Romæ prædicasse fidem, scribitur ab Euseb. L. 2. Hist. c. 13. et 14., ab Orosio L. 7. hist. cit., a Clem. Alex. L. 4. Inst. c. 21., a Theodos. Imp. L. *cunctos C. de sum. Trinit.* fundasse Ecclesiam Romanam asseritur ab Irenæo L. 3. adv. Hæc. c. 3. et Theodoretò in epist. ad Leonem: Primus Romæ Episcopus nominatur ab Epiphano hæc. 27., a Sulpit. L. 2. Hist. sac. et ab Ambros. L. 3. de Sacram. c. 1. tenuisse sedem vel cathedram Romæ legitur apud Optatum Milev. L. 2. contra Parmen., Hieron. de Script. Eccles., Aug. L. 2. cont. lit. Petil. c. 51. et Prudent. in Hymn. de S. Laurentio. Ergo.

Conf. Ex Act. c. ult. et epist. ad Rom. c. 1. v. 8. et 11. constat ante Pauli adventum floruisse Romæ Ecclesiam fidelium: hæc autem fundata ab alio non fuit quam a Petro, cum Judæorum conversorum nullus prædicare genibus sit ausus, antequam Act. 10. Petrus ad hoc munus cælesti visione est excitatus: Barnabas autem, quem præcursorem Petri quidam temere fingunt, ab hoc tempore diu comes Paulo individuus adhæserit: ergo.

Prob. 2^a p. Qui in Episcoporum Urbis serie constanter laudatur ut primus, cathedræ urbis suum tribuit nomen, Episcopo ac sedi ejusdem hæreditariam communicat auctoritatem sibi soli propriam, is non institutor tantum, sed et absque mutatione constans Episcopatus possessor, atque hinc ad mortem usque detentor censeri debet: sed Petro hæc omnia respectu Episcopatus Romani admissim conveniunt. Nam 1^o. Is in Romanorum Episcoporum catalogo a Tertul. L. de Præscript. c. 32., Optat. Milev. L. 2. contra Par-

men., Aug. epist. 261. ad Generosum, ab Epiphan. hæc. 27., a Dorotheo in synopsi aliisque nominatur primus: Idem 2^o. tribuit Romæ cathedræ suum Petri nomen, quo illa apud Cyprian. epist. 55. ad Cornel., Hieron. epist. 57. ad Damas., Aug. L. 2. contra lit. Petil. c. 51., Prosp. in carm. de ingratis, alibique tum in Conciliis tum in historicis compellatur: Is idem 3^o. principalem auctoritatem ac primatum Romana in sede successoribus communicatum reliquit, ut Iren. L. 3. adv. hæc. c. 3., Cypr. L. 4. epist. 2. aliique Art. seq. referendi testantur: ergo.

Conf. PETRUS ex dictis Romæ fuit Episcopus, ibique est mortuus: ergo Romanus Episcopus fuit ad mortem usque, nisi vel Episcopale munus penitus dimiserit, vel sedem alio transtulerit, vel particularem curam in universalem episcopiam mutaverit. Atqui nec Episcopale munus abjecit penitus; cum nulla rei hujus extet ullibi memoria: nec sedem alio transtulit; cum nulla Ecclesia præter Romanam et Antiochenam Petrum pro Episcopo suo proprio laudet; Antiocheni autem Petrum perpetuo Antiochiæ perstitisse ipsi negent; *Onuphrius* etiam *Patavinus*, Antiochenam cathedram post Romanam tandem a Petro fuisse erectam docere ausus, refutetur ab opposito antiquorum omnium consensu, et ab universali recentiorum negatione repudietur: nec dimissa particulari universalem curam assumpsit; cum adversarii, qui hic sunt heterodoxi, universalem Episcopatum Petro denequent, ejusque munus, ut Joannis ad Ephesinam, Jacobi ad Hierosolymitanam, sic Petri ad particularem Ecclesiam restringant: ergo.

167. *Objic.* Historia de PETRO asserta non congruit cum gestis S. Pauli, sive ante, sive sub, sive post hujus Romam adventum: ergo.

Prob. Ant. 1^o. Paulus ante adventum scribens ad Romanos, multos nomine proprio compellat salutari, nulla Petro impertita salute: ad Galatas autem scribens datum vult Petro Apostolatum circumcisionis, sibi autem præputii seu gentium: 2^o. Romam veniens Act. 28. habuit sibi obvios fratres, Petro inter eos non viso: ab iis etiam, utpote rerum christianarum adhuc ignaris, rogatur opinionem suam de Christianorum secta aperire: 3^o. Romæ de incolis scribens ad Philippenses, dicit omnes, quæ sua sunt, quærere; ad Timotheum 2^a, se ab omnibus desertum in prima sua defensione; ad Colossenses, sibi adiutores in regno Dei solos tres esse, non nominato Petro. Sed prima sunt incongrua, altera incredibilia, postrema etiam Petro injuriosa: ergo.

R. ad Arg. N. A. Ad ejus probationes universim R. eas vel ut negativas nihil positivis nostris obesse, vel ut loquentes de tempore absentia Petri ab Urbe ad rem non pertinere.

Speciatim *ad 1. R.* Prius accidit, dum PETRUS primo Roma abesset; nihil probat, si distinctas ad Petrum, ut poterat, Paulus litteras dedit; probat nimium, cum simile argumentum evinceat, nec Timotheum Ephesiis, nec Jacobum Hebræis præfuisse. Posterius partitionem hanc Apostolatus nec ut perpetuam, nec ut inviolabilem statuit, contrariis factis a Luca in Act. passim relatis; quin suppositis gratis his conditionibus, abundabant Romæ Judæi, e quibus initia Ecclesiæ a Petro colligi poterant.

Ad 2. R. Vel absentia Petri altera, vel prudenter restrictus ad paucitatem numerus occurrentium fecerat ne Petrus inter obvios Paulo factos reperiretur. Qui de Christianorum secta sententiam Pauli rogabant, vel Judæi erant

nequum conversi, vel cupidi disserentem de Religione audire Paulum Legem peritissimum: omnes certe Romani Christianae rei ignari dici nequeunt; quorum nempe fidem annuntiari ubique, ipse Paulus in epist. ad Roman. asserit.

Ad 3. R. Apostolus in epist. 1^a. loquitur de iis duntaxat qui mitti a se poterant; ad quorum numerum Petrus utique non pertinebat: in 2^a. agit de charis Caesari et auxiliari valentibus; in quorum classe Petrus, si tamen tempore primae Pauli defensionis erat Romae, certe non fuerat: in 3^a. sermonem habet de concaptivis sibi ministrantibus, ideoque a Petro distinctis.

Inst. 1. Haud melius convenit cum scriptis et factis historicis aliis. Patet primum ex eo quod 1^o. Lucas in Actis Apost. de Romana Petri profectioe non meminerit: 2^o. Josephus Judaeus, quantumvis Christianorum amicus et Romae suam historiam sub Nerone concinnans, neque mentionem de Petri martyrio faciat: 3^o. Clemens in ep. ad Corinthios de martyrio Petri et Pauli agens, Romae tamen eos passos haud dicat. *Secundum*, quia 1^o. Augustin. ep. 86. certamen Petri cum Simone Mago fabulis accenset: 2^o. Occursus Christi Petro Roma fugere paranti factus, a solo Ambrosio relatus, ad somnia videtur referendus: 3^o. Acta Lini Petrum et Paulum diverso tempore et loco passos narrant: 4^o. Hieron. L. 4. in Matth. c. 23. Apostolos hos in Judaea passos insinuat. Ergo.

R. N. A. Ad ejus Prob. 1. generatim dico flacidum esse illud argumentum: non est scriptum, ergo non est factum; ut ex innumeris apud omnes liquet. Singillatim *R.* Lucas non Petri, sed Pauli potissimum, cujus comes fuerat, acta referenda suscepit, quin tamen et hujus gesta omnia recensuerit, quae Paulus in suis epistolis plura adjicit. Josephus licet non admodum Christianis adversus accusetur, eorum tamen ac rerum ad ipsorum laudem spectantium adeo studiosus haberi nequit: praeterea ipse L. 2. de bello Jud. c. 11. declarat, silentio a se praeteriri Neronis scelera, ne scilicet displiceret Imperatoribus. CLEMENS martyrii locum notare nec ratione historiae, quae notissima erat Christianis, nec ratione scopi debuerat; cum ageret de Corinthiorum invidia, quae quanta mala crearet, ex martyrio Petri et Pauli, ubicumque demum facto probabat.

Ad 2. R. Atque negat duntaxat jejunii sabbatini originem haberi ex eo quod Petrus certamini cum Simone praemisisset. AMBROSIVS minime solus est hujus visionis auctor; sed eam attingunt etiam Athan. in Apol. pro fuga. Origen. Tr. 21. in Joan., Hegesip. L. 3. de excid. Hieros. c. 2., Ether. et Beat. cont. Elipand., Innoc. III. in Cap. 13. *Qui filii sint legitimi*. Acta Lini apocrypha sunt et nullius fidei; neque recusant benignam interpretationem, si necesse foret. HIER. Petrum Romae passum L. de Script. Eccl. aperte enuntiat: hic vero non insinuat Petrum et Paulum passos esse in Judaea; sed horum duntaxat mortem conjungit cum aliorum Apostolorum nece, non ratione loci aut temporis, sed ratione mentionis de donis discipulorum Christi.

Inst. 2. Chronologia historiae adjuncta nititur suppositis quinque, quorum aliqua sunt falsa. Contra *secundum* enim pugnat 1^o. quod Tillemontius de hac traditione nihil reperire potuerit in Clemente citato; Apollonius autem mansionem Apostolorum intra moenia Hierosolymae constringat: 2^o. quod ex Actis Apost. constet, Apostolos in Samariam, Lyddam, Joppen et Caesaream

primis post Christi mortem annis excurrere; ex aliorum autem calculo, Petrum post 4 vel 5 annos Antiochenam cathedram erexisse, reliquos Apostolos autem in orbem sparsos: 3^o. quod cum tot annorum mora conciliari nequeant Pauli itinera et Ecclesiarum fundamenta jacta; neque illius prudens ratio assignari. Contra *tertium* obstat 1^o. quod Euseb. in Chronico mansioni Antiochenae tribuat annos 25, Gregorius an. 7, nos vero 3 duntaxat: 2^o. quod non sit potior ratio decerpenti ex annis sessionis Antiochenae, quam de commoratione Apostolorum in Palaestina.

R. ad Arg. N. Ass. Supposita omnibus sunt communia et a plerisque admittuntur, licet in iis ad suum systema conformandis variae sint variorum sententiae. Ut planiorem, sic et verosimiliorem esse nostram, non tantum ex testimoniis sup. allatis, sed et ex responsionibus mox dandis constabit.

Quae enim contra *secundum* obijciuntur, ad eorum 1. *R.* Quod Tillemontius non repertum a se scribit, Sollerius Tom. 4. Jul. Exercitat. 3. de Apost. legit in tribus editionibus, et recitavit: APOLLONII verba quidem ad metropolim, sensum vero ad Palaestinae regionem referendum esse, tum facta, tum sana ratio, tum Scriptorum consensus docent.

Ad 2. R. Quae hic recensentur urbes, intra Palaestinam omnes sunt: quod de profectioe Petri Antiochena post quinquennium statuitur, extensio non tantum est extra metropolim, sed et regionem; cum Syria nunquam Palaestina pars audierit: quod additur de dispersione Apostolorum, aperta est violatio suppositi historici, auctoritate et traditione firmati.

Ad 3. R. Neque debent cum annorum 12 mora conciliari praedicationes Pauli et Ecclesiarum foundationes; quia nec ille praedicaverat sub Christo, nec ad Judaeorum, sed Gentium conversionem principaliter vocatus erat Apostolus, unde nec ipse praeepto hoc tenebatur: neque tamen deest ratio dati Apostolis aliis mandati; ut nempe sicut Christus primario missus erat ad oves Israel, ita Apostoli durarent apud eosdem, dum spes erat earum salutis; postea, cum Evangelium ab iis rejiceretur, converterentur ad gentes et alias orbis partes.

Quae contra *tertium* opponuntur, ad eorum 1. *R.* In editione Eusebii Basiliensi hic esse mendum advertuat omnes, nonnullis arbitrantibus annos 5 ponendos, ut cum 7 Gregorianis, quoad initium et finem haud integris, conciliantur: alii melius quemcumque annorum numerum errore typographi insertum volunt; cum in manuscriptis et aliis editionibus absit numerus et annus omnis: GREGORII numerus septenarius qua ratione mendosus evadere potuerit, num. 160. est dictum.

Ad 2. R. Ratio potior decerpenti aliquid ex hoc septennio quam illa annorum duodecade, stat in eo quod unus et posterior GREGORIUS, nec laudato testimonio, suum annorum numerum addat: duo autem, et antiquiores, et ad traditionem provocantes, et laudati ab Eusebio, suos annos edicant.

Inst. 3. Eadem chronologia difficultates patitur in Epocha primi Romam adventus, Prob. 1^o. Quia TIBERIUM tempore Christianos jam Romae fuisse, testantur Clemens L. 1. Recognit. Barnabam primum fidei ibidem praedicatorum faciens, et Orosius L. 7. hist. c. 4. referens Senatus Consultum de exterminandis urbe Christianis: 2^o. Quia Petrus modo circa an. A. C. 44. e carcere Hierosolymitano liberatus videtur; cum Herodes Agrippa sub finem anni primi Claudii Roma primum discesserit; an. 2. Hierosolymam veniens regni initia

persecutione Christianorum turbare certe noluerit; mox autem a persecutione, ut Act. 12. innuitur, obierit, secundum Josephum aliosque an. Regni 3. completo : 3°. Quia secundum epistolam ad Galat. an. Conversionis 14. Æ. C. 44. Paulus Petrum Hierosolymæ convenit : 4°. Quia teste Lactantio. L. de Morte Persecut. c. 2. cum jam NERO imperaret, Petrus Romam advenit.

R. Nulla hic chronologia affertur quæ careat difficultatibus : quod si noceret historiae, nihil, ut alia præteream, certum de ortu et morte Christi haberemus. Cæterum difficultates objectæ facilem solutionem habent.

Ad 1. R. Argumentum hoc sup. Probationibus jam est confutatum : nec accipit pondus sive ex libris Recognitionum, utpote apocryphis et Clementi falso adscriptis, sive ex Orosio, qui ibid. testatur, nullam sub Tiberio adhuc Romæ fuisse Christi Ecclesiam : unde decretum istud Christianos tantum, Romæ negotiorum causa adventantes, spectabat.

Ad 2. N. A. Chronologia AGRIPPÆ rem nostram potius juvat. Is enim a Caio jam donatus Tetrarchia Galilææ, a Claudio etiam, mense, Januario ad Imperium assumpto, principatu Judææ et Samariæ auctus, atque Præsidibus Provinciarum commendatus, non multo post CLAUDII initia deferebatur in Judæam. Hic res Judæorum Ecclesiasticas primum aggressus, ut ex mutatione Pontificum Synagogæ facta liquet, nihil pronius habuit quam ut ad novellam Christi religionem excindendam ferretur, indeque, ut captaret Judæorum animos, Jacobo occiso, Petrum etiam morti destinaret. Quod de morte AGRIPPÆ in Actis Apost. subjicitur, sicut cum persecutione Christianorum, tanquam causa, non erat conjunctum, sic nec tempore : unde narratio continuata liberati Petri discessum ad CLAUDII an. 4. non retrahit, cujus adventum Romæ tot sup. allata testimonia an. 2. adscribunt.

Ad 3. R. An. Æ. C. 44. Paulum Hierosolymis fuisse ipsi in Chronologia asserimus : sed Cephæ, quem junctis dextris sibi conciliavit, postea autem Antiochiæ reprehendit, eundem esse cum Petro negamus.

Ad 4. R. Venit quidem Petrus, cum NERO jam imperaret, Romam secundo non autem primo; cum ipse Lactantius ibid. præmittat, Apostolos per 23 annos usque ad principium Neroniani imperii per omnes Provincias et civitates (quas inter Roma certe fuerit) Ecclesiæ fundamenta misisse.

Inst. 4. Eadem est difficultas in Epocha mortis a Petro obitæ. Prob. 1°. Quia an. 13. NERO juxta Xiphilinum in epitom. Dionis, Roma absens agebat in Græcia : 2°. Quia teste Orosio L. 7. hist. c. 5. post persecutionem, qua Petrus et Paulus etiam perierunt, clades et pestis oppresserunt; quæ notante Tacito L. 16. Annal. et Sueton. c. 39. Nerva et Vestino Cons. h. e. an. Neronis 11, Æ. C. 65. evenerunt : 3°. Quia Chronicon Liberianum de Petro sic habet : « Passus die 3. Calend. Julias, consulibus Nerva et Vestino, imperante Nerone. »

Ad 1. R. Quem Philostr. in vit. Apollon. L. 4, in Achaiam sub consulatu Telesini seu an. Ner. 12. abiisse dicit, eundem sub Capitone et Rufo seu an. 13. triumphantem Neronem Suetonius c. 25. reducit; unde Xiphilinus facile explicatur: qui si expositionem non admitteret, poterant Petrus et Paulus septem jam mensibus carcere detenti, etiam absente Nerone, subire martyrium.

Ad 2. R. Ex Suetonii et Taciti calculo ceptam mox Christianorum persecutionem exceperunt plagæ; ab Orosio non item mors Apostolorum inter

persecutionis initia refertur : unde inchoatam an. Æ. C. 65. principio crudelitatem subsequens autumnus poterat ad terrorem inferre illa mala; nec tamen territa, sed sicut in Provincias diffusa, sic per gradus ascendens sævities, altero post anno, ad extirpandum ipsum Christi nomen, Apostolis manus injecisset; quæ videtur esse sententia periodi Orosianæ.

Ad 3. R. Appellatio consulum infidelis est et mendosa. En fragmentum huc pertinens : « PETRUS annis 23 fuit, temporibus Tiberii Cæsaris, et Caii, et Tiberii Claudii, et Neronis, a consulatu Vinicii et Longini usque ad consulatum Nerv. et Ves. Passus autem cum Paulo die 3. calendas Julias Consulibus supradictis, imperante Nerone. Linus fuit temporibus Neronis, a Consulatu Saturnini et Scipionis usque Capitone et Rufo. » Ea in lectione mendum non unum cubare, ipsa computatio ostendit. Si enim per sigla *Nerv. et Ves.* accipiatur Nerva et Vestino; a Cons. Vinicio et Longino, qui an. Æ. C. 30. presidebant, usque ad Nervæ et Vestini consulatum, an Æ. C. 65. congruentem, non 23 sed 35 anni numerandi sunt : si vero sub siglis sic restitutis *Ner. et Vet.* intelligatur Nerone et Vetere, Consulibus an. Æ. C. 53. signantibus; retinebitur quidem numerus 23 annorum notatus, sed mors Petri subjecta ad *Consules supradictos* h. e. Neronem et Veterem referri tunc nequit.

Postremum errorem corrigendi modus tanquam facillimus nobis probatur iste: ut solum sensus de morte Petri, loco suo amotus, subjiciatur post sententiam de Lino. Hac enim transpositione facta, anni 23 Consulatum Vinicii et Longini inter ac Consulatum Neronis et Veteris positi sibi constabunt; *Consules autem supradicti* ad Capitonem et Rufum relati annum martyrio Petri hactenus assertum rite designabunt.

168. *Observa.* Ex dictis probabilius apparet, PETRUM non voluntario consilio et facto mero, sed voluntate Dei et mandato, et sic aliquo Jure Divino, venisse Romam ac ibidem ad mortem usque mansisse. Huc enim spectare videtur, dum Euseb. L. 2. hist. cit. dicit, benignam et propitiâ Dei erga humanum genus providentiam Petrum Romam *quasi manu deduxisse*; Clemens Alex. L. 6. Hypoth. Petrum *Spiritu sancto afflatum* Romæ Evangelium prædicasse asserit; Leo Serm. de Pet. et Paul. *divinis præordinationibus* id factum ait : dum *impulsum* aut *mandatum Dei* memorant, qui Petri cum Simone Mago certamen referunt : dum denique Athan. 1. c. scribit audivisse Petrum, quod *mortem Romæ subire oporteret*; dumque alii sup. laudati, Petrum *occurrente et monente Christo* Romam ad martyrium rediisse, narrant. *Voluit autem Christus, ut Gelasius in Decr. de Scriptur. apocryphis inquit, Petrum Romæ pati, ut morte Petri Primatus in Romana sede firmaretur*; de quo nunc agendum venit.

ARTICULUS II.

An Romanus Pontifex obtineat Primatum Ecclesiæ?

169. *Nota 1.* Quem Ecclesiæ Primatum frustra hactenus PETRO negare conati sunt, eundem majori etiam contentione, nec meliori fortuna, Romanis Pontificibus eripere laborarunt Schismatici æque ac Hæretici; inter primos